

Gruber, herzogliche Bevollmächtigte, niederlegte, an, und ernannten den Professen von Garsten, Leonard, zum Abte des Stiftes.

(Fortsetzung folgt.)

Notitia chronologica

de exordiis cum veteris abbatae Sancti Petri Flaviniacensis, ordinis Sancti Benedicti, dioecesis Eduensis, tum eius prioratum et de anno collationis uniuscuiusque ecclesiae ipsi subiectae,

auctore Francisco Grignard, presbytero dioecesis Divionensis, rectore ad Sti. Iohannis ante Portam Latinam Grignonis.



mnia quae fiunt duplici legi necessario submittuntur, temporis scilicet et spatii; nihil enim non evenit quodam temporis aetate et quodam spatii loco; proinde chronologia et geographia duo sunt, ut ita dicam, historiae lumina.

Geographia abbatae Sancti Petri Flaviniacensis vix ullam eruditae praebet difficultatem; quare praetermittenda vel ad summum, currente calamo, praestringenda. Chronologia vero, utpote subobscura, aliqua illustratione indiget.

I. Abbata.

Scriptoribus Galliae christianae si fides adhiberetur, abbata Sancti Petri Flaviniacensis (Saint Pierre de Flavigny), antiquitus a Chlodoveo primo, Francorum rege, fundata fuisset ²⁾. Cui quidem opinioni alludunt inter caeteros Courtépée in sua Descriptione historica et topographica ducatus Burgundiae ³⁾ et praesertim Andreas Iosephus Ansart, in Historia sanctae Reginae Aliensis et abbatae Flaviniacensis.⁴⁾

¹⁾ 1419. I. März. Garsten. Notariats-Instrument. Perg. 2 Haengegesiegel. Archiv v. G.

²⁾ Gallia christiana, tom. IV. col. 454, E.

³⁾ Description du duché de Bourgogne, tom. V., pag. 369.

⁴⁾ Histoire de sainte Reine et de l'abbaye de Flavigny, pag. 151, not. 1.

Sed nullum habet fundamentum praeter verba quibus Wideradus, purus putus fundator non autem restitutor coenobii, in suo priori testamento loquitur: „in loco nuncupante Flaviniaco, in agro Burnacinse, in pago Alsinse, monasterium in re mea propria meo opere construxi, atque Magoaldo abbati cum monachis suis delegavi regulariter ad possidendum ¹⁾.“ Hinc a quibusdam infertur ante monasterium a Widerado constructum et sancto Praeiecto dicatum, Magoaldum abbatem cum monachis suis alterum incoluisse monasterium sancto Petro consecratum; deinde coalescentibus in unum ambobus monasteriis, coepisse titulum Sancti Petri et Sancti Praeiecti compositum, qui legitur in chartis Pippini, maioris domus ²⁾, Baionis et Cylinae uxoris, etc. ³⁾.

Infittias non eo Magoaldum „cum monachis suis“ abbatiam aliquam antea habitasse; sed abbatiae locus et titulus desiderantur. Vix enim ac ne vix quidem concedendum est Flaviniaci, trium aut quatuor millium spatio tantum distantis ab Alisia, ubi tunc temporis vigeat monasterium Sanctae Reginae monasterium alterum extitisse; praesertim cum de ipso ne ullum quidem verbum faciat Wideradus in testamento, nec in subiecto codicillo. Quod si monasterium ab ipso conditum et sancto Praeiecto dicatum, lapsu temporis nomen Sancti Petri simul et Sancti Praeiecti coniunxerit, aliqua alia causa esse potuerit; nam in codicillo, Wideradus testatur „in amore Christi Salvatoris eterni et honore sancti Praeiecti vel ceterorum sanctorum“ opus suum inchoatum fuisse et perfectum. Quid multa? opinio quae tenet Flaviniacensem abbatiam, regnante Chlodoveo primo fundatam, dubia, ne dicam commenticia videtur.

¹⁾ Apud Mabillon Acta SS. ordinis Sancti Benedicti; saeculo III. part. I., p. 682.

²⁾ Apud D. Danielem Georgium Viole, Apologie pour la véritable présence du corps de sainte Reine d'Alize, 2. Edit. probatione II. pag. 91.

³⁾ Codex ms. bibliothecae, urbis Castellionis ad Sequanam cui titulus: Document concernant Flavigny, etc.

Et vero fundata est ineunte VIII. saeculo, a Widerado, filio viri illustris Corbonis, qui cum dispensante Domino loca sanctorum „Sancti Andochii Sedelocinse et Sancte Regine Alsinse et Sancti Ferreoli,“ in sua cura suscepisset, „insuper etiam et in loco nuncupante Flaviniaco,“ monasterium in re sua propria, suo opere construxit. Haec ipse Wideradus in testamento, ubi paulo post itidem dicit: „monasterium Sancti Praeiectionis Flaviniacensis, quod in agro Burnacinse opere nostro aedificavimus.“ Denique tertium loquitur de basilica Sancti Praeiectionis quam suo opere Flaviniaci construxit. Similiter in codicillo meminit monasterii quod „apud Flaviniacum castrum in agro Burnacinse,“ qui ex successione parentum suorum ipsi evenerat, „in amore Christi Salvatoris eterni et honore sancti Praeiectionis vel ceterorum sanctorum“ suo opere construxit.

Quem locum, postquam fundasset et Magoaldo abbati cum monachis suis delegavisset regulariter et perpetuo possidendum, Wideradus multis domibus, aedificiis, mancipiis, accolabus, libertis, vineis, silvis, campis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, omni genere pecudum, mobilibus bonis et immobilibus dotavit. Tandem ipse monachus effectus Magoaldo successit et ordinatus est abbas undecimo calendis Maii. Praefuit annis duodecim et sepultus est in monasterio quod aedificaverat¹⁾.

Auctor igitur foundationis in propatulo; sed annus aliqua obscuritate laborat. Testamentum enim Wideradi actum est Sinemuro castro „die Kal. Febr. XV., anno Verbi incarnati DC. VI., domini vero Theoderici regis primo.“ Haec verba ad literam accepit Hugo Flaviniacensis abbas in Chronico, ubi scripsit: „Tempore Mauricii imperatoris, pontificatum Romanae ecclesiae agente papa Gregorio a. 9., constructio coenobii Flaviniacensis in castro praenominato facta est domino Widrado et Magoaldus abbas ordinatus est,

¹⁾ Hugonis abbatis Flaviniacensis Chronicon, edit. Migne lib. I., col. 102, B.; et col. 135, C. — Necrologium, ibid., col. 19, C. Ansart, loc. cit. p. 261.

anno ab inc. Dom. 601, indictione 5. Anno primo Theoderici regis, qui erat ab inc. D. 606, Focae vero imperatoris 3, idem dominus Theodericus testamentum domini Wideradi de castro seu coenobio Flaviniacensi sigillo suo confirmavit factam et corroboravit apud Sinemanum, secundo post transitum sancti Gregorii anno, primo scilicet papatus Sabiniani, praesidente Lugdunensi ecclesiae Secundino archiepiscopo ¹⁾. Haud aliter arbitratus est Claudius Robert, in prima Galliae Christianae editione anno 1626 ²⁾.

Sed pace tantorum virorum dixerim locum testamenti interpolatum aut saltem vitiosum esse.

Etenim Wideradus, quando testabatur, iam habebat loca sanctorum, scilicet Sancti Andochii Sedelocensis, Sanctae Reginae Alisiensis, et Sancti Ferreoli. Atqui Carolus Martellus, bona ecclesiastica primus in Gallia rapuit et ad arbitrium clientibus et fidelibus suis concessit eo usque, ut post obitum tanti viri fama et existimatio laesa fuerit, quibusdam de aeterno eius exitio somniis increbrescentibus ³⁾. Ergo Wideradus, aetate Tuditis, id est, ab anno 715 ad annum 741, testamentum suum necessario confecit ⁴⁾.

Insuper basilica ab ipso aedificata sancto Praeieto dicata dicitur. Atqui sanctus Praeietus Arvernorum pontifex et martyr, non „a suis civibus, anno ab inc. Dom. 580“ interfectus est, ut asserit Hugonis Chronicon ⁵⁾; sed duplex eius Vita testis est eum a Childerico rege morti traditum fuisse circa annum 674, ut docent Bollandus et Mabillon ⁶⁾.

¹⁾ Hugonis Chronicon, lib. I., col. 99, D.

²⁾ Cf. Ansart, Histoire etc. p. 151.

³⁾ Meille, Abrégé chronologique de l'histoire de Bourgogne, tom. II., p. 124.

⁴⁾ Vide si lubet de hoc argumento : D. Viole, Hist. ms. de l'abbaye de Flavigny, p. 40-42 ; — D. Nicolas de la Salle, Chronique ms. de l'abbaye de Flavigny ; amborum operum apographa asservantur in bibliotheca urbis Sinemuri in pago Alisiensi ; — Ansart, Hist. p. 154.

⁵⁾ Lib. I., col. 123, B.

⁶⁾ Bolland. Acta SS. Ianuarii tom. II., 630 ; — Mabillon SS. saeculo III. p. I. p. 683 nr. 3.

Vix igitur ac ne vix quidem fieri potuit ut monasterium Flaviniacense sancto Praeieto dicatum fuerit anno primo regnante Theoderico rege tertio, cum annus primus dicti regis incidat anno 669 vel 670 ¹⁾. Concludendum potius est regem, de quo verba facit testamentum, Theodericum IV. fuisse, Calensem dictum, cuius annus primus incidit anno 721 ²⁾.

Dato, non concesso, Magoaldum abbatem institutum fuisse anno 606, series Flaviniacensium abbatum aegre cohaereret. Etenim, ex ipso Hugonis Chronico, Wideradus ordinatus est anno ab inc. Dom. 651 et praefuit annis duodecim ³⁾. Successit ei anno 663 Gayroinus episcopus ⁴⁾. Anno autem 755, post Gayroinum episcopum, Flaviniacensis ecclesiae abbas ordinatus Manasses, tempore Pippini quondam maioris domus, tunc autem Francorum regis ⁵⁾; et sic Gayroinus abbas nonaginta duobus annis extitisset; quod quidem incredibile videtur ⁶⁾.

Tandem, ut nihil omittam ex argumentis, quae recludere possent annum foundationis et proinde fundamentum ipsum historiae abbatae Flaviniacensis, animadvertendum est in tabulario eiusdem abbatae nomina regum Francorum a Theoderico Calensi ad Robertum reperiri, dum econtra omnino desunt nomina regum Theoderico antiquiorum. Unde suspicari licet abbatiam illorum tempore nondum aedificatam fuisse ⁷⁾.

Cui sententiae nonnullae gravesque patrocinantur auctoritates. Ne longum faciam, in mentem revocare satis super-

1) Fredegarii scholastici Chronicon continuatum, edit. Migne col. 665 B; — Hugonis Chronicon, lib. I. col. 137 B.

2) Cf. Fredegarii Chronicon continuat. col. 674, B. — Hoc argumentum pertractarunt, D. Viole, Histoire ms.; — Apologie pour... sainte Reine, 2. edit. p. 77; — D. Nic. de la Salle, Chronique ms.; — Mabilion, Annales, etc. tom. II. p. 64; — D. Plancher, Hist. de Bourgogne, tom. I. p. 107; — Mille, Abregé, tom. II. p. 120; — Courtépée, tom. V. p. 369; — Ansart, Historie, p. 152.

3) Hugonis Chronicon, lib. I. col. 102, B et 135, G.

4) Hugonis Chronicon, lib. I. col. 136, D.

5) Ibid. col. 139, G.

6) D. Nicolas de la Salle, Chronique ms. etc.

7) Ansart, Histoire etc. p. 155.

que habeo suffragia D. Nicolai de la Salle, Flaviniacensis abbatiae sex annos prioris, in Chronico; D. Danielis Georgii Viole, auctoris laboriosissimi abbatiae Sancti-Germani Autisiodorensis; D. Ioannis Mabillon, benedictinorum omnium doctissimi; D. Plancher, qui de historia Burgundica bene meritus est; Mille, in breviario chronologico; Courtépée, in Descriptione ducatus Burgundiae, et Ansart in Historia sanctae Reginae Alisiensis et abbatiae Flaviniacensis.

Ex rationibus allatis omnes hi scriptores consentiunt antiquam illam abbatiam fundatam fuisse anno primo regni Theoderici IV., Calensis dicti; ab incarnatione Domini 721 vel 722.

II. Prioratus.

Nemo, nisi peregrinus in historia monastica, ignorat naturam et diversas prioratum species. Quocirca, ne decies repetita rursus repetam, originem uniuscuiusque prioratus ex abbatia Flaviniacensi pendentis, quam primum,
... ut potero summatim attingere, tangam.

1. Prioratus Sanctae Reginae Alisiensis.

Antiquissimus omnium sane fuit prioratus Sanctae Reginae Alisiensis (Sainte Reine en Auxois). Anno quo suum Wideradus condidit testamentum, locus Sanctae Reginae basilica, vel abbatia et monasterio, a monasterio Flaviniacensi prorsus distincto, decorabatur. Sed labente cursu temporis, ambo in unum ita cohaeserunt, ut abbas monasterii Flaviniacensis abbas etiam fuerit Sanctae Reginae Alisiensis. Ut verum dicam, annus quo pacta fuit societas, eruditissimum quemque latet; sed non immerito quidam coniiiciunt, ipsam a Widerado procuratam fuisse, quando monachus effectus est in monasterio Flaviniacensi, quod suo opere construxerat, id est quam tardissime anno ab inc. Dom. 747. Haec Ansart, in Historia saepe saepius laudata.¹⁾

¹⁾ p. 18, coll. 261.

2. Prioratus Sancti Petri Corbiniacensis.

Inter praedia, quibus Wideradus donatum esse voluit monasterium Sancti Praeiecti Flaviniacensis, recenset „in pago Avalinse seu Nevernense sive Ammonias, curtem qui vocatur Corbiniacus,“ a Corbone, Wideradi patre, nomine mutuato.

Anno autem VIII. regni sui Carolus Magnus his verbis Manassae Flaviniacensis coenobii abbati rescribat: „Petitionem itaque de constructione Coenobii apud Corbiniacum, quam per Theodulfum Episcopum Aurelianensem, aequè Abbatem coenobii Floriacensis, libenter suscepimus, clementer concedimus et precipimus, ut monachi quos ibi mittetis, ne aliquando mandatorum Dei viam obliti, sepius in Flaviniacum revertantur Coenobium, ibique officia sua confirment et meliorati iussu tuo et monachorum tuorum revertantur. Census vero, quemcumque statueris eis, omni tempore solvant; ab alio vero censu tuo amore liberos reddo, uti reddidi Flaviniacum“¹⁾. Sed propositum suum Manasses exequi non valuit.

Eggilo successori res felicior cessit. Audiamus ipsum loquentem: „Quoniam anno 864, quod verbum caro factum est, dum apud Flaviniacum sequenti die post humationem sacri corporis Reginae, XI. scilicet Kalendas Aprilis, una cum Salocone, Ionae Heduensis praesulis cathedrae coëpiscopi, charitatis glutino nostraeque familiaritatis collegio firmiter compaginato, Deo propitio hilari residerem animo, meo oratu oblatae sunt ante nostram praesentiam quaedam literarum monumenta a fratribus; inter quae quoddam re-pertum est, ubi erat insitum, quod religiosus Flaviniacensium Manasses Abba, olim a Rege Francorum, Magno scilicet Carolo, licentia accepta ad collienendos (?), congregatos alio duodenos monachos, quibus perpetuo iure tum Abbas quam monachi memorati Flaviniacensis coenobii praeessent omni tempore, universis conlaudantibus fratribus, coenobium Avalinse

¹⁾ Haec charta primum a D. Viole in *Apologie*, 2. editione transcripta, p. 95, reperitur etiam in D. Plancher, *Histoire de Bourgogne*, tom. I. pr. III.; et in *Gallia christiana*, tom. IV., *Instrumenta ecclesiae Eduensis*, V. p. 45.

seu Nevernense voluerit aedificare in comitatu apud Ammonias, in loco qui a Corbone viro inclito Corbiniacus dicitur, patre videlicet sanctae memoriae Guideradi abbatis, qui ipsum Corbiniacum cum omnibus villis et eorum appenditiis tradidit Domino Iesu Christo sanctoque Praeiecto, dum in eius honore venerabile Flaviniacum condidit coenobium. Hoc igitur lectitans animadverti fratrum omnium avida mente intentos esse animos, idque a me proficiendum annuentibus intra se vultibus indicare, consilio habito cum praefato viro et cum nobilibus viris, qui ob adventum tantae virginis pridie illuc advenerant, opere duxi commodum memor B. Benedicti, quia in omni loco uni Domino servitur, uni Regi militatur, universis suggerentibus fratribus collaudantibusque, laudabilis vitae patris Manassae votum (quam primum exequendi). Si quidem celebrato quod iam imminebat Paschali gaudio, sociatis mecum caementariis, cum pluribus artificibus, locum adii Corbiniacum, in quo fundato Oratorio in honorem apostolorum principis Petri, duodecim ibidem in memoriam duodecim Apostolorum in initio ad manendum constituimus fratres, quibus praefecimus decanum in sancta conversatione moribusque probum nomine Wilfridum, concedentes eorum necessariis usibus ipsum Corbiniacum cum suis appendiciis etc.⁴ 1)

Vere igitur novo anno 864 fundatus est prioratus Sancti Petri Corbiniacensis (S. Pierre de Corbigny); nec immerito scripsit Hugo Flaviniacensis in Chronico: „Hic est Aigil abbas Flaviniacensis, qui cellam Corbiniaci instituit et duodecim ibidem monachos posuit, annis a quo Flaviniacensis Ecclesia ipsum Corbiniacum optinuit ducentis quinquaginta octo“ 2). Auctor, ut patet, annos computat incipiendo ab anno DCVI⁰; qua de computatione diximus satis 3).

1) Vide chartam integram apud D. Viole, *Apologie*, 2 edit. p. 107; — Mabillon, *Acta SS. saeculo IV., II.*, p. 240. — *Gallia christiana*, loc. cit. XVIII.

2) *Lib. I. col. 168, D.*

3) *Ansart Histoire etc. p. 195.*

3. Prioratus Sancti Martini in villa Cachiviaco.

Tempore quo Warinus „illuster comes“ et sub eo Sasulfus decanus regebant Flaviniacense monasterium¹⁾, quidam nomine Seraphin donavit atque in perpetuum contulit S. Petro et S. Praeiecto „mansum videlicet unum cum indominicata casa et vinea in pago Tornotrinese, in villa Cachiviaco“²⁾.

Elapso saeculo, VI. idus Aprilis, regnante Lothario rege, anno XII., Achardus Lingonensis episcopus altare Sancti Martini, in villa Chichiviaco constructum, quibusdam monachis Sancti Petri Flaviniacensis concessit³⁾. Hinc iure vel iniuria concludit Ansart, prioratum Sancti Martini in villa Cachiviaco (Saint Martin de Chichée), iam tum extitisse⁴⁾. Idem sentit Courtépée scribens ipsum fundatum fuisse anno 995, seu potius 965⁵⁾.

4. Monasterium Sancti Praeiecti Veromanduensis.

„Anno 986 Adalbo, Veromanduensis comes, in villa Sancti Quintini monasterium aedificavit in honorem Sancti Praeiecti“⁶⁾. Haec Ansart. Reginaldus autem abbas, qui concilio Lateranensi sub Innocentio III. anno 1215 interfuit, monasterium hoc a monasterio Sancti Praeiecti Flaviniacensis originem duxisse, innuere videtur. Sic enim habet in charta charitatis, inter ipsum et Herveum abbatem Flaviniacensem pactam: „Benignitas vestra . . . que per societatis privilegium moderno tempore nos praevenit in benedictionibus dulcedinis, quos antiquitus plantando praevenerat causas exhibendo primitive nostre plantationis. Unde summo pere gratulamur, quod a tanta et tali ecclesia nostra sumpsit exordium, nec pudet nos confiteri quod esse est gloriosum“⁷⁾.

1) A. Duchesne; Preuves du liv. I. de l'Histoire de la Maison de Vergy, p. 8; — Bouquet, VIII. 500; — Hugo, Chronicon, lib. I., col. 169, A; etc.

2) A. Duchesne; loc. cit., p. 9.

3) Ms. ex bibliotheca Castellionis ad Sequanam: Documents etc.

4) Ansart; Histoire, p. 209.

5) Courtépée; tom. V. p. 380.

6) Ansart; Histoire p. 217.

7) Authenticum exstat in Archivo Departement de la Côte d'Or.

Iuxta quosdam autem, monasterium Sancti Praeiecti Veromanduensis (Saint Prix dans le Vermandois), nullo vinculo foundationis Flaviniacensibus astringebatur; et nihil aliud significant verba Reginaldi, nisi tempore Caroli magni ex ipsius rogatu monachos concessisse quasdam Sancti Praeiecti reliquias ad locum Sancti Quintini transferendas, ubi postea comes Adalbo monasterium in honorem sancti Praeiecti aedificavit ¹⁾.

5. Prioratus Prisciaci.

Hugo, Flaviniacensis abbas, haec habet in Necrologio: „11. Kal. Aug. Milo, vicecomes Tiliï obiit; qui cellam Prisciaci dedit.“ ²⁾ (Preiy-sous-Thil.)

Hic erat „Milo quidam nobilis Vassallus de Castello quod vocatur Tilium,“ qui laudantibus uxore sua Umbye et filio suo Guidone, XX. regis Roberti anno, donatum „esse perpetuo voluit ad sepulturam suam principi apostolorum beato Petro sanctoque martiri Praeiecto monasterii Flaviniacensis, seu monachis ibidem Deo servientibus, alodum suum, quem iure hereditario apud villam nuncupatam Masteriolas continentem possidebat.“ ³⁾ Paulo post obiisse videtur; nam anno XXX. eiusdem regis, Guido „tradidit sancto principi Petro et glorioso presuli Praeiecto, res quas dudum pater suus in memoriam sue sepulture ibidem delegaverat, in territorio Morvensi, apud Villam Masceras“ ⁴⁾.

Quo vero tempore Milo cellam Prisciaci dederit, documenta praecise non indicant. Nescio qua fretus auctoritate Courtépée scripsit: „Prioratum Prisciaci sub Thilio, Flaviniaco datum, anno 1005 a Milone de Thilio“ ⁵⁾. Idem alibi fusius de hoc prioratu tractat. „Pro tribus, inquit, monachis fundatus fuit, quorum primus Prisciicum, secundus Vicum sub Thilio, et tertius Montigneium spiritualiter regebat“ ⁶⁾.

¹⁾ Ansart; Histoire, p. 216.

²⁾ Necrologium col. 20, G.

³⁾ Ms. ex bibliotheca Castellionis ad Sequanam. Documents etc.

⁴⁾ Ibid.

⁵⁾ Tom. V., p. 379; — Ansart, Histoire, p. 209.

⁶⁾ Courtépée, tom. VI., p. 290.

I. C. Prudhon, in *Historia Vici sub Thiliq* eadem pauca ferme repetit et addit: „prioratum fundatum fuisse prope ecclesiam Prisciaci, in Domibus et hortis quae nunc pertinent ad dominum Parmetier, emeritum notarium 1).“

6. Prioratus Sancti Georgii Collicensis.

Prioratus Sancti Georgii Collicensis (Saint Georges de Couches) a rege Pippino et uxore Bertha fundatus fuit, ut patet ex ipsorum imaginibus, quae non ita pridem cernebantur ex utroque latere cuiusdam ecclesiae portae 2).

Ludovicus Pius iam decreverat atque fieri iusserat „quatinus villae ac monasteria ad praefatam sedem (Augertodunensem scilicet) pertinentia, quae sunt tam intra urbem, quam extra, id est, monasterium puellarum Sancti Audochii intra eandem urbem constructum, . . . necnon et Colliaci monasterium, quod dudum ab ipsa sede subtractum et „domino genitore nostro deligentissime pro Dei amore investigatum atque libentissime redditum memoratae ecclesiae fuit, ut absque illius inquietudine aut retractatione memoratae sedis rectores tenere perpetuis possint.“ Haec Carolus Crassus, nonis Iulii, anno IV. regni sui 3).

Tandem Walterius episcopus animadvertens coenobiolum hoc „quod etiam olim magno honore simul et religione flourerat, ita penitus eversum ut nullus inibi monachorum, nullus maneat canonicorum, praeter unum qui ibidem Missam celebrare erat solitus, presbyterum,“ statui unde deciderat illud reformare cupiebat. „Sed quoniam a praecessoribus ipsius episcopi in beneficio secularibus ac potentibus viris erat distractum atque datum, nequaquam absque eorum assensu valebat effectui operam dare. Tandem fuit consilii ut, per laudationem Hugonis Cabilonensis comitis, cuius beneficium erat praetaxatum monasteriolum, internis abbati vel monachis, coenobii Flaviniacensis ad restaurandum committeret, temptaturus in reliquum maiora reparationi seu meliorationi eiusdem loci proficua si ei, superstita vita, superna concederet

1) Vic-sous-Thil, Chatillon-sur-Seine, Legent-Diey, 1879 pp. 9 et 239

2) Ansart, loc. cit. p. 200.

3) A. de Charmasse; Cartul. de l'Eglise d'Autun p. 46.

gratia.“ Sed quia morte consumptus coepta perficere non potuit, idcirco Helmoinus Augustodunensis episcopus, „cum consilio et adiutorio iamdicti domini Hugonis comitis,“ negotium ad finem usque deducere studuit. Quum autem videret terras vel ecclesias ad eundem locum pertinentes ita quoquoersum distractas, ut nullatenus possent illis auferri quorum subiacebant ditioni, et locum ipsum sine alterius ope diu non permansurum, coenobio Flaviniacensi illum perpetuo subdidit, anno regis Roberti XXX.

Qui quidem annus trigesimus Roberti regis varie a variis auctoribus sumitur. Etenim A. Duchesnius in probationibus Historiae domus Vergiacaе, illum reputat ab incarnatione Dominica MXVII ¹⁾. Scriptores vero Galliae Christianae errorem typographicum suspicantes, legendum esse annum MXXVII existimant ²⁾. Non nostrum inter tantos viros tamque eruditos huius modi componere litem; liceat tamen adnotare Robertum regni paterni consortem factum anno DCCCCLXXXVIII., solum et absque socio regnasse anno DCCCXCVI. Ex priori igitur computatione annus eius trigesimus erat ab inc. Dom. 1017, ex posteriori vero 1025 ³⁾. Iuxta Galliam Christianam annus agebatur 1027 ⁴⁾.

7. Prioratus B. Mariae Sinemurensis.

Flaviniacensis abbas Amadeus, qui Collicensem cellam acquisivit, „et Sinemurensē et Bellilocensem et Corbiniacum recuperavit“ ⁵⁾.

Quidam opinantur ecclesiam B. Mariae Sinemurensis a Girardo, Rossillonensi comite celeberrimo funda-

¹⁾ A. Du Chesne, Histoire de la maison de Vergy; Preuves, p. 60.

²⁾ Gall. Christ. tom. IV. col. 459, XXVI. Cf. Instrumenta Ecclesiae, Eduensis XL.

³⁾ Hug. Flaviniacen. Chronicon, lib. II, col. 197, C.; — Mabillon, Annales. tom. IV., pag. 659; — Courtépée, tom. III, p. 563.

⁴⁾ Gall. Christ. tom. IV., col. 449, C.

⁵⁾ Hug. Flaviniacen. loc. cit.

tam ¹⁾; et postea a Roberto I., Burgundiae duce reaedificatam ²⁾).

Prioratus vero (Le prieuré de Notre Dame de Semur) prima vice notatur in Chronico Hugonis abbatis, ubi dicitur ab Amadeo Sinemurensis cellam recuperatam, vel ut ipse animadvertit Hugo in Necrologio, adquisitam fuisse ³⁾. Magni non constabat; etenim ipsam dono dederat Gyrardus Sinemurensis ⁴⁾. Quis autem fuerit Gyrardus, difficile dictu. Attamen praetereundum non est inter Aymonis Alsensis comitis testamenti confirmatores, anno 1004, „Gerardi archidiaconi Sinemurensis castri“ nomen reperiri ⁵⁾. Quidquid sit, donatio ipsa contigit inter annum 1010 et annum 1038, quorum intervallo Amadeus abbatiam Flaviniacensem regendam suscepit ⁶⁾.

8. Prioratus B. Mariae Bellilocensis.

Sicut prioratus B. Mariae Sinemurensis, ita et prioratus B. Mariae Bellilocensis (Notre Dame de Beaulieu), in pago Dusmensi ab Amadeo abbate acquisitus fuit. Periculo meo fateor Belumlocum eundem esse ac Belrubrium, ubi Heldricus abbas omnisque caterva Flaviniacensis coenobii possederunt „mansum unum coniacentem in comitatu Dusmensi, vel in villa que dicitur Belrubrius, quem quidam Warinus tenuerat,“ et postea cuidam militi, nomine Hugoni uxori que eius nomine Reginae et tribus filiis eorum Ragenerio scilicet, Arenberto atque Heldierio concesserunt, „ea videlicet ratione, ut dum sub hac luce morarentur et praesentati eorum filii tenerent ac possiderent, reddendo singulis

¹⁾ Millé, *Abrégé chronologique*, tom. II, p. 355, not. I. — Bocquin, *Esquisse pittoresque de Semur* in 8^o p. 41.

²⁾ Courtépée, tom. V. p. 319; et Ansart, *Histoire*, p. 208.

³⁾ *Necrologium* col. 19, G.

⁴⁾ *Ibid.* B. Kal. Mart. Obiit Gyrardus Sinemur, qui cellam Sinemurensis Sancto Praeiecto dedit.

⁵⁾ A. Duchesne, *Preuves de l'Histoire de la maison de Vergy*.

⁶⁾ Hugonis *Chronicon*, lib. II, col. 197, C. et 260, B. — De prioratu B. M. Sinemurensis cf. Courtépée, tom. V. p. 317 et 319; et *Bibliotheca eiusdem urbis, Procès, documents historiques*.

annis in censu denarios ad forum Lintiliaco XVIII.; sublatis vero illis ab hac vita Dei iudicio, sine cuiusque hominis habitatione redeat pretaxatus mansus et cuncta ad eum pertinentia ad casam sancti Petri sanctique martiris Praeiectionis dicti Flaviniacensis coenobii“ 1).

9. Prioratus Sancti Germani Latifolii seu Sancti Anthimi de Cancellis.

Aymo, administrator reipublicae comitatus Alisiensis atque Dumsensis, anno 1004, donavit Iesu Christo „regi saeculorum et sancto Petro aedituo Paradisi Paradisorum, martiri-que ac sacro praesuli Praeiectionis, quorum honore pollet Flaviniacense coenobium, quoddam oratorium ex paterna hereditate conditum in memoria sancti Germani, haud procul situm a silva quae dicitur Campus-Sigillatus, cum omnibus appendiciis, quae ad ipsum dominicalem mansum aspicere videntur.“ 2) Dum corporis robur faveret, decreverat ibidem statuere coenobium; sed morte instante, salubrius ipsi visum est atque utilius „predictum oratoriolum Christi confessoris Germani, subdere ditioni monachorum Flaviniacensium.“

Hinc procul dubio prioratus originem traxit; et Aymonis donatio ansam dedit Courtépée scribendi prioratum Sancti Germani Latifolii fundatum fuisse ab Aymone Vergiacensi, comite Alisiensi, anno 1002 3). Verius Ansart: „Nescitur quo tempore locus ille prioratus effectus fuerit,“ 4) quanquam argumentum ab auctore productum insuperabile non videatur. Etenim Philippus rex, in privilegio anni 1085, ecclesias omnes ad Flaviniacense coenobium pertinentes enumerare non intendit, sed illas tantummodo de quibus abbas Ragnaldus praeceptum fieri specialius rogavit.

Qui quidem prioratus primum Sancti Germani Latifolii dictus (Saint Germain la Feuille), vocatur quoque Sancti Anthimi de Campo sigillato seu de Cancellis (Saint Anthime de Chanceaux) propter vicinum altare Sancti An-

1) Ex cod. ms. bibliothecae Castellionis ad Sequanam.

2) A. Duchesne, Preuves de l'Histoire de la maison de Vergy.

3) Courtépée, tom. VI. p. 603.

4) Ansart, Histoire, p. 212.

thimi de Cancellis quod iam pertinebat ad coenobium Flaviniacense et a quo pendebat prioratus Sancti Germani.

10. Prioratus S. Ioannis Evangelistae de Grignone.

Inter ecclesias, quas Henricus Eduensis episcopus anno 1149 dedit; et Anastasius Papa IV. anno 1154 Flaviniacensi coenobio confirmavit, recensetur ecclesia sancti Ioannis Evangelistae de Grignone ¹⁾ (de Grignon).

In altera autem charta, cuius annus omittitur, sed quae concessa fuit a Stephano, Henrici Eduensis episcopi successore, ab anno 1171 ad annum 1189, seu ab a. 1171 ad annum 1181, cum confirmata fuerit ab Alexandro III., qui sedem Petri tenuit ab anno 1159 ad annum 1181 ²⁾, sic habetur „Ego Stephanus, Dei gratia Eduensis episcopus, concedo Flaviniacensi ecclesiae et priori de Grignone, medietatem omnium reddituum in ecclesiis de Grigneio et de Segneio ³⁾.“ Prior supponit prioratum. Fallitur ergo *Ansart*, scribens ecclesiam in prioratum erectam fuisse anno circiter 1247 ⁴⁾. Fallitur etiam *Courtépée*, cum dicit prioratum illum fundatum fuisse a comitibus Alisiensibus decursu XI. saeculi ⁵⁾. Etenim ut verbis utar *Danielis Georgii Virole*, „non opinor ecclesiam Grinionis prioratum fuisse anno 1149 ⁶⁾.“ Comites tamen Alisienses lato quodam sensu prioratum illum fundaverunt, bona quaedam Grignone sita, monachis Flaviniacensibus tribuentes, sicut fusim exponitur in *Historia mea* manuscripta parochiae et vici Grignonis.

¹⁾ Charta Henrici reperitur in *Memoires mss. sur Vitteaux*, auctore D. Collon, presbytero, Aigniacensi paroco, tom. II. p. 1039. — Bulla autem Anastasii legitur apud *Pérard Recueil de plusieurs pièces curieuses*, p. 236.

²⁾ *Archives de la côte d'or*, H. 187, *Bulles des papes*.

³⁾ *Archives du prieuré de Grignon*.

⁴⁾ *Ansart*, loc. cit. p. 213.

⁵⁾ *Courtépée*, tom. V. p. 528.

⁶⁾ *Cod. ms. bibliothecae Sinemurensis*, no. 73, *Histoire de l'abbaye de Flavigny*.

11. Prioratus S. Columbae de Rimacurte.

Ecclesia S. Columbae de Rimacurte proprio vocabulo exprimitur inter ecclesias, quarum Anastasius IV. possessionem confirmavit abbatae Flaviniacensi anno 1154. Antiquissima autem charta, quae loquatur de prioratu eiusdem nominis (S. Colombe de Rimaucourt), pertinet ad annum 1176; quo colonia monachorum Flaviniacensium in ipso permanebat ¹⁾.

12. Prioratus S. Sulpicii de Fontanis.

Anno inc. Dom. 865, die sabbati mense Octobris, Inrad Lingonensis episcopus, Egilo Flaviniacensi abbati condonavit altare Sancti Sulpicii episcopi et confessoris, quod erat in ecclesia Fontanarum, in pago Attoriensi ²⁾ (S. Sulpice de Fontaines, au pays d'Attouar, hodie Fontaines Françaises). Haec autem ecclesia, sicut ecclesia Sanctae Columbae de Rimacurte, eiusdem dioecesis, postea cessit in prioratum; quod quidem evenit anno circiter 1300, quando officia perpetua et officiorum tituli coeperunt in Flaviniacensi monasterio ³⁾.

13. Prioratus de Rupe Neoleti.

Iam ab anno 1107, „Girardus abbas Flaviniacensis et monachi Flaviniacenses post multas et longas petitiones impetraverunt a conventu canonicorum Sancti Nazarii Eduensis, quatinus permetterent eis cimiterium facere intra fines parochiae Balbiniacensis“ ⁴⁾. Qui quidem fines usque ad annum 1654 ecclesiam Rupis-Noleti complexi sunt quae primum fuit prioratus abbatae Flaviniacensi subiectus (Le prièure de la Roche-Nolay, hodie la Rochepot.) Temporis vero decursu, monachi omni ope destituti, abbatis iussu, Flaviniacum reversi sunt; sed prioris nomen adhuc occurrit anno 1494; et prioratus ipse reperitur inter loca religiosorum ministerii Colcharum, in nomenclatione (gallice pouillé), omnium

¹⁾ Ansart, Histoire etc., p. 210.

²⁾ Mabillon, Acta SS. saeculo IV., II. part. p. 240.

³⁾ Ansart, loc. cit. p. 213.

⁴⁾ A. de Charmasse, Cartul. de l'église d'Autun, p. 53.

ecclesiarum parochialium etc. . . Veteris dioecesis Eduensis nuper edita ¹⁾. Patres autem societatis Iesu Augustodunenses, in requisitione anni 1625, aiebant prioratum illum ab annis quadringentis et amplius fundatum fuisse. ²⁾

14. Prioratus Sancti Georgii Flaviniacensis.

Hic prioratus Alisiam inter et Flaviniacum, ad radices montis Alisiensis, loco situs erat. In actis capituli abbatiae Flaviniacensis legitur D. Musigny anno 1388 Sancti Georgii priorem fuisse. Cum antea prior nullus reperiatur, inde conicere licet institutionem prioratus antiquiorem non esse ³⁾.

Omittenda non est

15. cella Balneoli (d. Bagnot)

de qua diruta loquitur Courtépée⁴⁾, et quae iuxta ipsum ad Flaviniacensem abbatem olim pertinebat.

Haec de originibus prioratum veteris abbatiae Flaviniacensis. Finire tamen non possum, quin fatear multum me debere operibus Courtépée et Ansart, qui materiam hanc ex professo tractavere: hic in capitulo quarto Historiae abbatiae Flaviniacensis cui titulus: Prioratus qui pendent ex abbacia Flaviniacensi; alter in Descriptione Flaviniacensi, paragrapho qui dicitur: Ecclesiae et prioratus ex abbacia pendentia.

III. De ecclesiis.

Olim abbatia quaecumque centrum erat cuius circumferentia late protendebatur. Ne moras faciam, coenobio Flaviniacensi tantum insistens, notabo, praeter prioratus tredecim, multas esse parochias in quibus habuit ius nominandi presbyterum, seu iuxta veterem loquendi formulam, quarum nominatio et praesentatio, seu ius patronatus et praesentandi ad abbatem et monachos, collatio vero et provisio et quaevis alia dispositio ad episcopum, ratione suae dignitatis per-

¹⁾ Id. Cartul. de l'éveche d'Autun, p. 380.

²⁾ Courtépée, tom. III. p. 85.

³⁾ Ansart, Histoire p. 215.

⁴⁾ Courtépée, tom. III. p. 155.

tinebat. Quasdam pro posse et temporum ordine nunc enumerare conor.

Anno 865, Isaac Lingonensis episcopus, Eygilo abbati concessit „altaria consecrata in honore sancti Petri apostolorum principis, in duabus ecclesiis, id est Domini Petri et Acellis (Dampierre-sur-Vingeanne et Arceau) et aliud altare dicatum in honore sancti Sulpitii episcopi et confessoris, quod est in ecclesia Fontanis (Fontaine-Française), que videlicet ecclesie sunt in pago Attoriensi constructe, sunt que de beneficio iuris monasterii Flaviniacensis.“¹⁾

Peracto saeculo anno XII Lotharii regis, alter Ecclesiae Lingonensis pontifex nomine Achardus, dedit „altare sancti Martini, cum decimis sibi aspicientibus, quod est situm in comitatu Torndrinse, et in villa Cachiviaco constructum, quibusdam monachis Sancti Petri Flaviniacensis coenobii, videlicet praelato eiusdem coenobii Adraldo et ipsius nepoti Miloni, et quorum videtur esse providentia, ea auctoritate ut praedictum altare cum suis decimis subiectum sit perpetualiter predicto coenobio Sancti Petri Flaviniacensis. Ipsi vero monachi Adraldus et Milo, quamdiu eis vita superstes fuerit, usum fructuarium ex eo percipiant. „At vero post finem illorum migrationis ipsum altare fine tenus et perpetualiter subiectum predicto cenobio maneat“²⁾.

Hic duo per transennam animadvertanda seu potius emendanda. Etenim Rudolfus Koepke, Pertzii Monumentorum Germaniae historicorum auctoris socius, Achardi tabulam ponit anno 867³⁾. Forsitan typographicus error irrepsit et annus 967 loco 867 legi debet Etenim Achardus sedem Lingonensem obtinuit anno circiter 948⁴⁾; et Lotharius Ludovici Ultra-marini filius, regnare coepit anno 954; cuius annus XII incidit anno ab inc. D. 965.

Idem Koepkius loquens de Chidiviaco addidit: „Nomen hoc aequae ac sedes Edaici latet.“ Edaici Sedem latere con-

¹⁾ Charta Isaaci.

²⁾ Charta Achardi.

³⁾ Hug. Flaviniacen. Chronicon, lib. I., col. 170, not. 73.

⁴⁾ Gall. Christ. tom. IV., col. 547, A.

cedo; sed non ita nomen Chidiviaci, quo significatur gallice Chichée, in pago Tornodrinsi.

Anno vigesimo tertio eiusdem Lotharii, Walterius Eduensis episcopus „altare sancti Genesis cum decimis ad illud pertinentibus, quod est situm in comitatu Alcensi, in oppido Flaviniacensis monasterii constructum (S. Genès de Flavigny) omnibus monachis Sancti Petri, videlicet Miloni praelato et cunctae congregationi praedicti monasterii „per testamentum suae largitionis misericorditer conferre dignatus est“¹⁾.

Cui anno 992 addidit: „Alta Rocha altare sancti Albini (St. Aubin d'Hauteroche); Ialiaco altare Sanctae Reginae (St. Reine de Jailly-les-Moulins); Vindiliaco altare Sancti Martini (St. Martin de Villy); Cancellis altare Sancti Antimi (St. Anthime de Chanceaux); Puteolis altare Sancti Victoris (St. Victor de Poiseul-la-Ville); Coloniis altare Sancti Iuliani (St. Julien de . . .); Insulis, altare Sancti Medardi (St. Médard de . . .); Mansionile, altare Sancti Salvatoris (St. Sauveur de Magny-Lambert); Fontanas, altare Sancti Germani (St. Germain de Fontaine-en-Duesmois); Poliniaco, altare Sancti Symphoriani (St. Symphorien de Pouillenay); Massingiac, altare Sancti Petri (St. Pierre de Massingy-les-Semur); Marsiliaco, altare Sancti Georgii (St. Georges de Marsilly-les-Vitteaux); Scitiaco, altare Sancti Benigni (St. Benigne de Cessey); Fano, altare Sancti Germani (St. Germain de Fain-les-Moutbard); Blatsiaco, altare similiter Sancti Germani (St. Germain de Blessey); Valva, altare Sancti Balderici (St. Baudry de Vesvres); Darciaco, altare Sancti Benigni (St. Benigne de Darcey); Vietello, altare Sancti Germani (St. Germain de Vitteaux); seu decem et novem altaria.

Anno 1085, Philippus Francorum rex, in praecepto de rebus ad Flaviniacense coenobium pertinentibus, has primum recenset ecclesias, videlicet: „ecclesiam sancti Georgii mar-

¹⁾ D. Plancher, *Hist. d. Bourgogne*, tom I., preuv. XXXI.

²⁾ D. Plancher, *loc. cit.* preuv. XXX.

tiris Christi, iuxta castrum quod dicitur Colchos sitam (S. Georges de Couches); et ecclesiam Sancte Marie Dei genitricis, in confinio castri quod Sine muro dicitur (Notre-Dame de Semur-en-Auxois), et ecclesiam Sancte Sophie, in villa que dicitur Bellus-locus constitutam Sainte-Sophie de Beaulieu); et ecclesiam sancti Martinicelli (sic) „que est posita in confinio Glennonis villae (S. Marcel de Glanon); et ecclesiam Sancti Iohannis Evangeliste, que est infra moenia Eduorum sita (S. Jean l'Evangeliste d'Autun), et ecclesiam sancte Trinitatis cum capella Tili castri, que est fundata in villa que Presseracus dicitur (la S. Trinité de Precy-sous-Thil et la chapelle du chateau de Thil ¹).

Anno 1149, Henricus Eduorum episcopus praeterea citat „ecclesiam Sancti Ioannis Evangelistae de Grinione“ ²). (St. Jean l'Evangeliste de Grignon.)

Anastasius papa IV. anno 1154 adiecit „ecclesiam Sancte Marie de Rimacurte (St. Marie de Rimaucourt ³).

Alexander papa III. ex anno 1159 ad annum 1181 computat „ecclesiam Sancti Preiecti martiris de Segneio“ (St. Prix de Seigny ⁴).

Innocentius III. anno 1211 memorat „ecclesiam Sancti Remigii de Goolun (St. Remy de Guillon) ecclesiam Sancti Petri de Puteolis (St. Pierre de ⁵).

In capitulo quodam anni 1273 enumeratur ecclesia Sancti Germani de Venereyo (St. Germain de Venarey ⁶).

Tandem in libro in quo „continentur omnes ecclesie parochiales et collegiate, abbatiae, prioratus, capitula, leproserie, Domus Dei et alia loca religiosa tocius civitatis et dyocesis Eduensis,“ leguntur insuper nomina ecclesiarum

¹) Charta Philippi regis.

²) Charta Henrici episcopi.

³) Bulla Anastasii Papae.

⁴) Item Alexandri PP.

⁵) Item Innocentij PP. Archiva de la Cote d. ov. H. 187.

⁶) Courtépée, tom. V., p. 379.

Sancti Martini de Auceyo (St. Martin d'Auxey), Sancti Bartholomei de Bouceyo (Saint Barthelemy de Bousse), Sancti Sulpitii de Boux (Saint Sulpice de Boux), Sancti Petri de Draci (St. Pierre de Dracy les Vitteaux), Sancti Germani Latifolii (St. Germain la Feuille) quae forsane eadem est ac illa Sancti Germani de Blatsiaco (St. Germain de Blessey) de qua iam locuti sumus; Sancti Bartholomei de Montaigni (Montigny-St.-Barthélemy), quarum patronus erat abbas Flaviniacensis; — ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae de Vico subter Thillium (St. In. Bte. de Vic-sous-Thil) cuius patronus erat prior de Prissiaco, et ecclesiae Lucenayi (Lucenay le Duc) cuius patronus prior Sinemuri¹⁾.

Adiciamus demum cum Courtépée ecclesiam de Clichy prope Chablis, et capellam B. M. de Grangiis subter Grinione (du Granges sous Grignon) quarum annus donationis latet, et ni fallor, ecclesiarum quae ex abbacia Flaviniacensi olim pendebant chronologicam seriem exhaustam habebimus.

Opusculo finem faciam verbis Petri San-Juliani Balleurrei, Ecclesiae Cabilonensis olim decani: „Si quis mihi in crimen detorqueat quod libellulus incoeptus spes frustratur, illum oro atque obtestor ne censuram proferat, antequam ostenderit quantum ipse melius facere possit“²⁾.

Scribam Grinione, in festo S. Dyonisii Areopagitae, IX. Octobris, anno Inc. Dom. 1880.

Fr. Gr.

1) A. de Charmasse; Cartulaire de l'évêché d'Autun; Pouillé du diocèse d'Autun, d'après un manuscrit du XIV. siècle.

2) Pierre de Saint Julien de Balleurre; *Mélanges historiques*, p. 328 „Et si quelqu'un trouve mauvais que j'aye entrepris chose qui ne satisfait à l'espérance qu'il en avoit, je luy supplie ne blasmer mon essay que premièrement il n'ayl montré combien il sçaura mieux faire.“ (?)